

S. Literis propriè, quid figuratè, quid allegoricè dictum sit? undenam sciri possit, quis sensus sit falsus? quæ sit bona ratio, quæ tropum suadeat? quando *ἔτι* pariat difficultatem? qualia subjecta à prædicatis esse permittuntur, &c. undenam cognoscetur, quænam locutio flagitium, aut facinus vetet; utilitatem aut beneficentiam jubeat? undenam intelligetur, quid Deum deceat, an sensus sit innatus, &c. Si noverint, indicent, & simul Methodum explicandæ Scripturæ indicabunt. At nihil tale usquam apud ipsos aut alios invenire potui; nisi hoc unum, quod aut legisse me apud aliquem, aut ab aliquo audivisse memini, & operæ pretium duxi hisce adjungere, atque expendere.

9. Hic, si me non fallit memoria, disputans, *An nempe S. Scriptura secundum rectam rationem sit explicanda*, assererat, nullò modò Scripturam nostræ rationi esse subjiciendam: & hòc assertò deinceps quærebat, Quomodo igitur, unum locum propriè, alium verò figuratè esse accipiendum interpretandumque, patebit? Cui quæstioni in hunc modum respondet. Quando S. Scriptura alicubi quid clarè & ex professò docet, sive *δογματίζει*, cui contrarium aliò in locò ex occasione, & per consequentiam statuere videtur: tum locus ille clarus propriè & secundum literam est intelligendus; hic verò figuratè & secundum illum interpretandus. Ex. gr. S. Literæ clarè *δογματίζει* Deum esse unum, & aliis in locis Deus loquitur numerò plurali, unde sequi videtur, illum non esse unum. Cùm igitur prius ex professò doceatur, posterius verò per consequentiam ex iis deducatur, hi textus impropriè sumendi, & secundum illos, qui propriè accipi debent, exponendierunt. Similiter jubetur cavendum esse, ne Deum corporeum imaginemur, dicitur enim Deuteron. 4. *Cavetote vobis valdè (nam non animadvertistis ullam similitudinem, &c.) ut non faciatis vobis sculptile, similitudinem ullius simulachri, &c.* Et postea. *Si facietis sculptile, similitudinem ullius rei, &c. contestor contra vos hodie cælum & terram, fore ut omnino pereatis quàm celerrimè è terrâ illâ, &c.* Quibus locis clarè docetur, Deum esse incorporeum. Quocirca istò præceptò, & non ratione obligamur, omnes textus, è quibus, Deum corporeum esse, colligi posse videtur, ex hòc præceptò interpretari. Hæc est illius viri sententia, quâ quæstioni omni ex parte satisfactum putat. Sed miserè fallitur. Quid enim ipsi perspicuum in Scripturis dicitur? Constat namque tota vocabulis, nullaque vocabula adèd sunt clara, quin plures admittant sensus, ut jamjam ostendimus: & quod ipsi clarum erit, alter judicabit obscurum. *Ipsa (ut habet Stapletonus lib. 10. Controvers. cap. 3.) manifesta Scripturæ loca non omnibus sunt manifesta. Quod enim uni manifestum est, alteri vel tardioris ingenii, vel aliter affecto obscurum est. Hoc est corpus meum, nobis est clarum, Berengario, Wiclepho, Lutheranis & Calvinistis*